



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid significet hoc verbu[m] Gratia, & quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

poterant in toto eradicare illum errorem.

Sic Iudæi doctrina iustificationis plurimum offerebantur, quando correcti à Prophetis & Doctorebus, quòd legi tribuebant iustificationem, & quòd per opera legis consequerentur remissionem peccatorum, & quòd hac fiducia suæ iustitiæ, cultum cumulabant & sacrificia. Ideò occidebant Prophetas, Christum & Apostolos, obstinati in hoc errore. Tales igitur euacuantur à Christo, à fide discedunt: volentes suam iustitiam statuere ideò Dei non erant capaces, Rom. 10.

CAPVT IX.

ARGVMENTA.

1. *Quid significet hoc verbum Gratia, & quid sit.*
2. *Quibus detur.*
3. *Quomodo sit causa, quòd omnia opera nostra Deo placeant, & sint meritoria.*



Hoc verbum, gratia, largè significat auxilium Spiritus sancti, seu actionem diuinam in nobis: & sic accipimus gratiã, in nobis: & sic accipimus Gratiam, quando dicimus, nihil possumus sine gratia Dei, id est, auxilio Dei. Sic orare, benefacere, esse constantem in fide, vincere pericula & tentationes &c. facimus adiutorio gratiæ Dei. Sic inquit Apostolus Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. & 1. Corint. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Rom. 8. Ipse spiritus iuuat infirmitatem nostram. Aliquando etiam, gratia, significat largè relaxationem pœnarum debitarum pro peccatis. Et sic capimus cum dicimus: Hodie est patrocinium in hac Ecclesia, vadam vt promerear gratiam & indulgentiam, id est, remissionem

sionem pœnarum, secundum taxationem Canonũ, ut erat in primitiua Ecclesia in vſu: nec hodiè in totum est abijciendum: vtinam hodiè Ecclesia seruet hunc rigorem & disciplinam. Sed gratia, propriè est immerita Misericordia, Dilectio & Fauor Dei, quam nobis gratis Deus exhibet propter Christum, vt quando Deus iure nos posset damnare, tùm propter peccatum originale, tùm actuale, attamen gratis nostrum miseretur propter Christum: Et qui sumus natura peccatores, iniusti propter annexum vitium, attamen reputamur iusti in Christo, & remittitur nobis peccatum: hoc iam est opus in Deo, quod mihi exhibetur, scilicet misericordia propter fidem in Christum. Preſupponit hoc verbum, Gratia, peccatum, misericordia miseriam. Ideò cupio Gratiam, quia peccator sum: misericordiam, quia malefeci: Qui se non putant peccatores, illi non cupiunt gratiam Dei, sicut de Iudæis iustitiaris loquitur Paulus, Galat. 2. Non abijcio gratiam Christi. Et Lucæ 15. Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ideò qui se intelligunt damnatos, & cupiunt misericordiam propter Christum, illis exhibetur gratis Gratia, id est, non propter benefactum nostrum. Non enim habet causam & originem meriti in nobis, sed oritur & causam habet in Christo, propter quem hæc Gratia nobis distribuitur, & non propter nostrum opus operatum. Et sic arguit Paulus, Rom. 11. Si gratia ex operibus, iam gratia non est gratia. Et Rom. quarto: Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Est igitur Gratia, gratuita remissio peccatorum, & acceptatio propter Christum, cum qua est coniuncta donatio Spiritus sancti.

Hæc Gratia exhibetur his, qui se agnoscunt peccatores, vt dictum est: retinetur quoque apud timentes Deum. Luc. 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Roman. 8. Si secundum